

כנה  
ORATIO PARENTALIS.

1855.

In præsentia Illustrissimorum Juniorum  
Saxoniae Ducum;

*gestit e. Hallig  
H. B. von ...  
...*

Et confessu honoratissimorum Virorum:

In gratam memoriam,

V I R I

*Plurimum Reverendi, Amplissimi & Excellentissimi,*  
Dn. M. IOHANNNIS KRO-  
MAYERI, Superintendentis Ge-  
neralis, & Pastoris Vinariensis  
vigilantissimi.

Habita Vinariae, 20. Augusti  
Anno, M. DC. XLIII.

à

M. CHRISTIANO CHEMNITIO,  
Ecclesiae ibid. tum temporis  
DIACONO.

In memoriâ aeternâ erit Justus!

\*\*\*\*\*

J E N A.

EX TYPOGRAPHICO LOBENSTEINIANO.  
ANNO clō Ioc III.

i.  
ff.  
pro  
vid  
ten.  
6.b.  
as-  
b. l.  
l, 13.  
b. l.  
vero



1856.

ORATIO PARENTALIS

In praesentia Illustriſſimorum Juniorum

Saxoniae Ducum

Et ceteris honorabilissimum Virorum

Ingratam memoriam

F. R. I.

et Praesentium Reverendissimi & Excellentissimi

DM. JOHANNIS KRO-

MAYERI, Superintendententis Ge-

neralis & Saxoniae Vinariorum

vigilantissimi

Episcopi Vinariorum, ac Augusti

Anno, M. DC. XLII.

M. CHRISTIANO CHERMUNITIO,

Rechtsgel. ord. tam temporis

Diacono.

In memoriam eius esse iussit

XX

J. N. A.

Ex Typographo JOHANNIS LEIBNIZII

Anno etc etc etc





1857.

*In Nomine Altissimi!*

**M**AGISTRUM JOHANNEM KROMAYERUM si justa destituerent præconia: omnem virtutis memoriam deleri; & Reipublicæ literariæ tenebras sempiternas offusas esse videretur. Hic enim jam inde ab auspiciatu propemodum vivendi spirandiq; stabilem & bene compositam suam servando indolem: longo annorum decursu ita omnium animos & oculos in se detinuit defixos, ut facilè se probaverit VIRUM auctoritate reverendum, eruditione præstantem, dexteritate admirabilem, sanioris doctrinæ tenacem, omniq; virtute præditum & florentem. Nunquam autem tam malè actum fuit cum rebus humanis, ut nulli virtutis æstimatores, nulli rectè aut malè factorum censores, nulli laudum justarum & honestatis præcones exstiterint, veri q; & assidui buccinatores: Sed quolibet tempore integritati & sinceræ vitæ constitit debita dilaudatio.

a 2 Quam

Quam si quis KROMAYERO denegaret, curso-  
 ri brabeum, luctatori herbam, militi coro-  
 nam, victori triumphum denegaret, & quod  
 meritis summo jure deberetur, celebre Capi-  
 tolium. Defuncto Theseo visum est Athe-  
 niensibus, illi, ut *Heroi*, honorem tribuere;  
 quòd milites, qui in acie Marathoniâ adver-  
 sus Medos steterant, in armis, Thesei speciem  
 quandam ante signa in barbaros erumpen-  
 tem conspexerant. Vidimus & nos JOHAN-  
 NEM KROMAYERUM, ante signa Christiano-  
 rum in barbaras hæreticorum cohortes, hor-  
 risona Satanæ arma, densa quoq; vitiorum &  
 scandalorum spicula, non specie, aut vanâ &  
 ludente aliquâ imagine, sed solidâ virtute &  
 toto impetu erumpentem. Ut igitur Atheni-  
 enses Theseo *octavo die cujuslibet mensis* sacra  
 faciebant, ad denotandam stabilitatem & so-  
 liditatem virtutum illius viri, quod *octonarius*  
 quadrigeminus esset ex binario, & duplicem  
 contineret quadraturam: Sic etiam nos hoc  
*quarto* post beatum ejus discessum *octonario*  
 convénimus, ultima virtuti ejus verba dictu-  
 ri, & extremam honoris benevolentiam de-  
 functo exhibitori. Infelicem verò me, &  
 parum fortunatum! qui vix Urbem hanc in-  
 gressus,

1859.

gressus, extremum voluntatis & animi testi-  
monium orare jubeor, collapsæ columnæ &  
firmo tibicini, gementis & derelictæ Ecclesiæ.  
Rem miseram & acerbam! cum vix obdu-  
ruit, paullatimq; obductum & consolidatum  
est recens illud vulnus, quod *lachrymabilis va-*  
*ledictoria Jenensis*, flagranti & tenero cordi meo  
infixerat: iterum triste verbum dicendum est  
& lamentabile: *Abiit à nobis KROMAYERUS!*  
Quàm vellem supersedere hoc labore, & exo-  
ptare cum isto Imperatore: *Utinam ignorarem*  
*litteras!* Verùm non est implenda cathedra  
hæcululatibus, aut nimia ægritudine coles-  
tus *luctus*: ne plus nos infestet, ut erat consili-  
um Philosophi, apud Arsinoën, filium lu-  
gentem. Vitam intueamur, placidumq; ex  
hac turbâ & colluvione rerum humanarum  
exitum, & ad hæc actiones nostras confor-  
memus!

*Parentes* habuit NOSTER, virum integri-  
tate & sincerâ pietate laudabilem, *Hieronymum*  
*Kromayerum*, civem Döbelensem: matrem  
autem, honestam fœminam, *Magdalenam*  
*Rentzschinn*, *Ohrtrantiâ*, oppidulo juxta Albim,  
oriundam. Prognatus ex pervetusto & no-  
bili *Kromayerorum*, Görlicii & Wratislaviæ ce-  
lebra-

lebratissimorum, genere. Cùm enim Ma-  
 jores ejus, GEORGIUS, HIERONYMUS, & AN-  
 DREAS, fratres; AUGUSTINUS item & THOMAS,  
 cognati; omnes clari, nomine KROMAYERO-  
 RUM: illustria fortitudinis & Heroici animi  
 specimina edidissent, tempore MAXIMILIANI  
 PRIMI: justissimus Imperator nobilitatem  
 virtute metiens, non longo genere, & tardâ  
 profapiâ inde à multis avis, abavis, atavis, tri-  
 tavis aut quadritavis enumerandâ; virtuosis-  
 simos illos viros in numerum *Nobilium Roma-  
 ni Imperii* clementissimè recepit & adscivit:  
 Quæ Dignitas majoribus privilegiis & am-  
 pliatione Insignium; splendidis literis adau-  
 ctâ est, Anno 1538. ab invictissimo Rege Ro-  
 manorum, FERDINANDO. Nec tamen ea  
 mens unquam fuit Beato nostro, ut aut fû-  
 mosis imaginibus, de quibus jam tabida & in-  
 juriosa vetustas propemodum triumpharet;  
 tacitè superbire; aut imperioso nobilitatis su-  
 percilio cuiquam fucum obtendere, & ina-  
 nem gloriam consecrari vellet: Ut potius  
 confertis manibus amplexaretur, si infra ab-  
 jectissimos quosq; esset, modò Ecclesiæ aut  
 Scholæ Dei inserviret. Documentum inde  
 capiat intolerabilis fastus nonnullorum, qui  
 si vel

1861.  
si vel genere, vel auctoritate, modicum alios  
antecellant, vestram fidem! ut cristas erigunt,  
& supercilia tollunt vel comis majora; non  
nisi cum superbissimis in concentum redu-  
cendi. Non ita noster, qui satis noverat, su-  
perbiam dehonestamentum esse generis hu-  
mani; & individuum comitem eorum, qui-  
bus cor rectè situm non esset. Ut enim Wen-  
tzeslaus bimulus, regni Bohemiæ insignibus  
ornatus, inaugurationem suam infantili spur-  
citie nobilitavit: sic etiam tales, quos turgida  
stimulat superbia, pleraq; infantili suâ stolidi-  
tate nobilitant & produnt. Quemadmo-  
dum autem caduca & Dominium mutantia  
sunt hæc humana; nihilq; tam magnum est,  
quod perire non possit: sic etiam brevi tem-  
poris interjectu, *Majores Beati Nostri*, variis in-  
cendiis, & publicis calamitatibus, omnibus  
suis bonis exuti & fuerunt denudati. Quod ta-  
men illorum constantiam & virtutem, nec fre-  
git, nec labefactavit. Didicerant enim, nemi-  
nem à GLORIÀ eò provehi, ut non tantum illi  
minaretur, quantum promiserit: noverant,  
momento mare everti, eodemq; die, ubi lu-  
sissent navigia; sorberi. Qui igitur animum  
ad horum bonorum amissionem maturè  
præ-

præparaverant: facile hæc omnia sustinebant,  
 divitesq; erant & locupletes, quoniam cum  
 paupertate illis bene conveniebat. Quod  
 etiam promovit NOSTRUM, ut cum ferè ad-  
 huc à matre ruberet, lubrica illa & fugacissi-  
 ma bona mundi, non magnopete requireret,  
 sed se converteret ad vera mentis bona, in quæ  
 non esset manûs, aut ignis injectio. Hinc  
 Eum vidisses, cum puræ adhuc togæ adole-  
 scens esset, vindicare se sibi, & omnes horas  
 complecti, ne, dum doctrina differretur, vita  
 transcurreret, dubiusq; ex crastino pendere  
 cogeretur. A quo proposito, tantum abest,  
 ut dimoveri potuerit, ullâ novercantis for-  
 tunæ adversitate; aut deterreri minis, esurien-  
 tis & famelicæ matris, paupertatis: ut etiam  
 non detrectârit, ferias esuriales celebrare, aut  
 victu uti, aspero & scrupeo, ad quem vel cum  
 calceatis dentibus sit commeandum: modò  
 crepantia domare posset intestina, & securus  
 Grammaticæ suæ impallescere. Audierat  
 enim, primum argumentum compositæ men-  
 tis existimari, consistere posse, & secum mo-  
 rari; optimèq; intelligebat, bonæ mentis cō-  
 tinuam sociam & contubernalem, esse egesta-  
 tem. Supergressus igitur ætatem prætexta-  
 tam,



1863.

tam, cum jam in Schola patria, Budiffina, Stralsundensi, Buntzlaviensi, tandemq; Naumburgensi, ubi tum temporis & frater ejus, postea *Licentiatus Theologiae, & Superintendens Plaviensis*, vivebat; per varios casus literis insigniter esset excultus; honestatis & sedulitatis testimonio viaticatus, Lipsiam est profectus, tanquam ad celeberrimum bonarum artium emporium. In qua augusta Musarum aede, magnarumq; animarum Prytanéo, ab indole egregia nullatenus deflexit, sed ad veritatis & honesti indagacionem citato gradu, & magno atq; excelso animo, per salebras tenebrasq; iter suum contulit. Cumq; nignoraret, quod desidia & luxuria Siren, erectis ad sublimia animabus vaferrimè insidiaretur, multosq; traheret aliorum: noluit cum comtulis adolescentibus ad aleam, ætatem transmittere, auresq; mancipare ad tricinium semivolucrum puellarum, ut voluptates graphice pingit Symmachus: sed eas ex animo detestatus est. Neq; etiam ex otiosorum & torpidorum grege esse voluit, qui tornacalia celebrant, & domi compressis manibus cõsident; solertiam autem & indefessum studium averfantur, ut sus amaracinum, vultures unguen-

b

ta,



ta, rosasq; scatabæi: sed auscultando, legendo, disputando & concionando, nihil cuiquam suorum æqualium, fecit reliqui. Factum igitur est, ut non solum Stipendio liberali ab *Illustrissimo Administratore* dotatus fuerit & sustentatus: sed etiam nihil tale quicquam cogitans de medio studiorum suorum cursu evocatus fuerit, ad fungendum *Diaconatu*, & paulò post, *Pastoratu* ad Divi Petri & Pauli, *Islebia*: quarum provinciarum primam, illustriorem fecit, Gradu Magisterii, quo anno millesimo sexcentesimo, meritissimo suo est exornatus. Verum enim verò non potuit latere, & angustâ Urbe includi; pertinax studium, ardens Zelus, labor indefessus, manus prompta, iudicium accuratum, & multis annis confirmata eruditio & experientia, sed vera de his fama effecit, ut ejus operam vocârit *Illustrissima ac Celsissima VIDUA, Dux Saxoniae, Juliaci, Clivie ac Montium, &c. DOROTHEA MARIA*. Ad cujus clementissimam voluntatem, cum munus *Concionatoris Aulici* in se devolvi pateretur: postremò *Inspector*, & *Superintendens Generalis*, ab *Illustrissimo ac Celsissimo Duce WILHELMO*, Domino nostro *Clementissimo*, & *Pastor* ab *Amplissimo* hujus Urbis

bis

1805.

bis *Senatu*, vocatus est & constitutus. In  
quâ Ecclesiasticâ Spartâ & provinciâ quam in  
geminis locis cepit diversam, & per quadra-  
ginta quatuor annos, Deo juvante, quantum  
fert imbecillitas humana, feliciter admini-  
stravit: qualem se gesserit? quàm verus fue-  
rit in religione; quàm gravis in increpatione;  
quàm ardens in auditorum suorum dilectio-  
ne; quàm sollicitus in meticulosorum conso-  
latione; quàm reverendus & validus in ad-  
hortatione; quàm acutus in refutatione;  
quàm expeditus in decisione; quàm inimicus  
& infestus sceleratis vitiis, quam potens & se-  
curus in contemptu ingruentium malorum:  
quàm proficiuus scriptis & doctrinâ; quàm to-  
lerans, & quasi ænea habens intestina, in la-  
boribus: De iis omnibus, ut ego dicam? Non  
sum ferundo tanto oneri, quod vel eloquen-  
tissimo Oratori labra comprimeret, & gravi-  
tate sua occluderet fauces. Analec̃ta tantùm  
collegi de mensis Deorum, ne ambrosiæ illius  
aliquid depereat, de ipsis autem mensis, Da-  
mis aliquis dicat, aut alius excelsissimorum  
Oratorum. Absolvo me isto iudicatu, &  
juro, MIHI NON LIQUERE. *Homotamen fuit*  
*Beatus NOSTER!* Sicut igitur talem se esse, non  
b 2 Deum

Deum aliquem aut Angelum, immortalem,  
 & ab infirmitatibus peccatorum immunem  
 bene noverat & exactè: sic etiam nihil huma-  
 ni à se alienum esse putavit, aliosq; putare pas-  
 sus est. Cùm igitur, mandante Deo, signum  
 daretur, ut mundanâ hac palestrâ quam pri-  
 mum exiret, placido & quieto animo, omnẽ  
 humanitatem exclusit, ac, si quid esset, quod  
 carnis infirmitatem redoleret, seria pœniten-  
 tia apud Deum, & suum Confessionarium  
 deposuit; nobis omnibus exemplum relin-  
 quens & speculum, in quod intueremur: si  
 quando & nobis ex turbulenta hac conturba-  
 tarum rerum scena prodeundum esset. Su-  
 spicatus enim, mox fore, ut è custodia corpo-  
 ris emitteretur, ardentè, [ut aliàs perpetuò,]  
 precatus est Deum, ut sibi instans migratio fe-  
 lix & fausta eveniret. Docuerat enim in vi-  
 ta sua, quàm grave & periculosum esset, disje-  
 cta vasa velut in tumultu colligere: & quàm  
 rarò cum talium manibus propitius & cle-  
 menter Deus agat; extremæ regulæ qui pieta-  
 tem, pœnitentiam & preces reservassent.  
 Nulla igitur apud ipsum tentatio, nullum de  
 sua religione dubium, scrupulus nullus, nulla  
 angustia. Sed sicut de Diogene Plutarchus  
 refert,

Deum

s. d.

refert,

1867.

refert, quòd excessurus vita, excitante eum Medico, percunctanteq; ecquam molestiam sentiret; *Nullam, responderit. nam frater sororem anticipat, somnus mortem:* Sic etiam *Beatus Noster*, ne minima quidem molestia gravabatur, sed veluti somno propinquus, mortem secum exspectabat. Memorabile erat, & ad posteritatem feram transmittendum, quod altero die post primum Paroxysmum solus foli pronuntiabat: Novimus omnes, quod in ingenio ejus effingendo, adeò largiter sibi indulisset natura, ut memoriam & doctrinam in numerato haberet; & quòd ei de verbis in consilium venire, necesse non fuerit: sed quod aliis præstat longa cogitatio, id ei dederit prima animi intentio. Cùm verò illo tempore sereno animo recoleret, ut intellectum, in paroxysmo habuisset quidem integrum: memoriam autem & linguam planè infidam & deficientem: *Nihil est, inquit, omnis nostra scientia: juvet nos Dominus.* Verè Christiana & regia vox, ac digna, quam apicibus perennandam auratis, tabula rostralis aut Capitolina accipiat, ut loquitur Sidonius: digna, quam literatorum corda accipiant universa! Elapsis ergo aliquibus diebus, cùm finem vitæ

imponendum esse, denuo quasi responce  
 mortis intelligeret, nihil ipse inquietari: sed  
 calidis votis & humidis lachrymis testari desi-  
 derium suum versandi cum Christo. Vera  
 loquor, Auditoris, & quæ his oculis meis vidi.  
 Cùm enim; ubi post clementissimam visita-  
 tionem, *Illustrissimi ac Celsissimi Ducis VVIL-*  
*HELMI*, Domini nostri Gratosissimi; ejus-  
 demq; *Illustrissimi filij*, natu Majoris, *Ducis JO-*  
*HANNIS ERNESTI*; singulis ferè momentis  
 vitam depositurus videretur: quintâ horâ an-  
 te extremum halitum ejus auribus postremò  
 acclamarem: jam tempus adesse, ut juxta la-  
 tera aliquot millium suorum auditorum sta-  
 ret in facie JESU CHRISTI, & diceret ex Pro-  
 phetâ: *Ecce me & filios meos, quos mihi dedisti*  
*Domine!* mox cum futurum esse cum Christo,  
 & visurum Noham, Abrahamum, Davidem,  
 Jeremiam, Zephaniam, Paulum, Johannem,  
 Ambrosium, Hieronymum, Augustinum,  
 Lutherum, Brentium, Rungium, Chemniti-  
 um, Hunnium, Gesnerum, Winckelmannû,  
 Balduinum, Mentzerum, Meisnerum, Ger-  
 hardum, Himmelium, Höpffnerum, & uni-  
 versum cætum laboriosorum Doctorum, to-  
 tumq; cœlestium animarum concilium! nu-  
 tu

1869

tu ipse, & lachrymis super genas profluentibus, manuq; tremulâ, arctè prehendendo & comprimendo meam dexteram, innuere suam fidem & ardorem, quamprimum ad finem mortalitatis accedendi. Non poteram & ipse à lachrymis mihi temporare, quoniam homines sumus, carne & sanguine constantes: non ex Deucalionæo quodam lapide conflati: Sed & ipse penitus ingemiscbam, ac coràm intuebar, quantum distaret mortalitas hæc ab immortalitate. Subjicere igitur mea lingua: Ergo proficisceretur ad *suum Dominum*, cum Angeli adstent, curru Eliæ eum avecturi: teneret firmam tesseram, hanc meam manum, me in extremo die à latere ejus futurum, quando mutuis brachiis rueremus in amplexus nostri Salvatoris. iret benedictus! abiret Angelis comitatus, & nunc aspectu tacitisq; luminibus totum pererraret, quod fide hæctenus credidisset. Iterata manuum compressio, signum fuit fœderis, & VALE extremum, quo invicem discessum est. Quid igitur dicturum esse, cogitemus, attenti Auditores, si copia daretur fandi, & ad inferiores has auras redeundi: quàm; *vera, vera sunt ilia, ô dilectissime Magister*, quibus

1870.

Z. 6487

bus verbis clarè, me postremùm compellabat  
*quæ dixisti! vera, vera sunt! accede quamprimum*  
*ad me, & vide.* Salve igitur, BEATE, æter-  
 numq; Vale: nos Te ordine, quo DEUS per-  
 miserit, cuncti sequemur! Nulla autem Le-  
 thes flumina, nulla injuria, nulla tempestas,  
 nulla turba, nulla oblivio, nullus Rhada-  
 mantus, memoriâ Vestrà deleat, MA-  
 GISTRUM JOHANNEM KROMAYE-  
 RUM!

D I X I.



W A

M C





ORAT

In praesen

Et co

Plurimum

Dn. M. I  
MAY

nera

Ha

M. CHR

E

I

\*\*\*\*\*

ExTYP

ALIS.

orum

tissimi,

CRO-  
is Ge-

ITIO,

NO.

1855.

*gestit e. Hallig  
43. 12. 1855  
L. H.*

